UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Discursus Prædicabiles, Sive Viridarium Sacrarum Concionum

Paoletti, Agostino

Coloniae, 1677

Secunda pars.

Nutzungsbedingungen

urn:nbn:de:hbz:466:1-55660

Visual Library

horto Gethſemani nullam viridem plantam vel herbam eſſe, & tamen adhuc ſervari illæſa veſtigia Judæ: *Porro Gethſemani amiſit hortum* (ut vix cognoſci poſſit) *& tamen non amiſit veſtigia Judæ, illa hodie quaſi recentia proponens Multa ſunt de Chriſto teſtimonia teſtatur Pater de cælo, teſtatur Spiritus Sanctus; hortus teſtatur Gethſemani modo monſtrans Judæ veſtigia adhuc conſiderantibus.* Ne ille nequam crimen negare vel excuſare audeat, terra per ejus veſtigia eum accuſabit.

17. Dum Zacharias juſſu Joſiæ Regis Iſrael, quia arguerat eum de idololatria lapidatus fuiſſet, *ſanguis ejus*, verba ſunt D Hieronymi, *in ſaxis, & lapidibus pavimenti adeò fuit impreſſus, ut nunquam deleri potuerit.* Idem affirmat Tertullianus: *Zacharias inter Altare, & ædes trucidatur, perennes cruori ſui maculas ſilicibus aſſignans.* Id factum forſan ut ſi vellet Joſias ſe excuſare, ipſi lapides purpurei ejus injuſtitiam, & homicidium proderent.

Idem teſtatur magnus Baſilius de Seleucia de Saule, qui irâ exæſtuans innocentem David haſta transfodere voluit, ſed dum David declinaret ictum, furor dextræ Regalis parietem petiit, & in eo ſignum impreſſit. *Tenebat Saul lanceam, & miſit eam putans quod transfigere poſſet cum pariete, & lancea in ipſo pariete infixa eſt.* An forſan caſu accidit, ut paries læderetur? nequaquam, ſed Deus id permiſit ut caſu quo auderet excuſare feritatem ſuam eſſet teſtis eum accuſans. Ecce Baſilium: *Ictum paries accipit omnibuſque facinus indicat, ita David periculo exemptus eſt. & paries funeſtæ manus monumentum tali ſuſtinuit impreſſione.*

Quis ergò audebit ſe excuſare apud illum Deum coram quo reſponſa evaneſcunt, & abeunt in infernum? Audi Procopium. *Ut enim Deus miſericors cum ad ſupplitium peccatorum deſcendere cogitur primùs obſtinatam illorum imprudentiam omnibus patefacere, ut ſuâ juſtitiâ qualis eſt incorrupta demonſtretur nullaque peccatoribus excuſatio aut juſtitia quærimoniæ ſuperſit ratio, ſed ſuo in ſcelere deprahenſi, ac ſe ipſos ultro damnantes obmuteſcant, & cooperti ſint diploide confuſione ſua.* Quieſcamus.

SECUNDA PARS.

18. DUm venerit Anti-Chriſtus ſuas perfidias operaturus Servator ſuadet fugam: *Fugite in montem*, fugere non eſt ſemper meticuloſi, ſed aliquando generoſi. Fuga non eſt ſemper infamis, ſed ſæpe generoſa, ergo tu adverſario tuo audacter occurras, ego ero ex illis qui fugiendo terga verrunt; nam, ut ait magnus Doctor Hieronymus: *Fuge & viciſti*: prodens namque reputabitur qui fugit, & adverſarium declinat, & imprudens qui eum quærit, vel ei occurrenti occaſionē indagat. Sic Salomon teſtatur: *Sapiens timet, & declinat à malo ſtultus tranſilit & condit.* Huic adjungit Tertullianus: *Qui præſumit, minus veretur, utilius ergo ſi ſperemus nos poſſe delinquere, ſperando enim timebimus, timendo cavebimus cavendo ſalvi erimus* Hanc veritatem agnovit, & denuò roboravit ſanctus Hieronymus, dum dixit: *Confiteor imbecillitatem meam, pergo ad eremum ut bella non patiar, nolo ſpe pugnare victoriæ, ne perdam aliquādo victoriam.* Qui pertinaciter vult pugnare, turpiter vincitur, qui hoſtem non declinat, non obtinebit victoriam. Joſeph cecidiſſet in pugna ei oblata ab impudica uxore Putipharis, niſi fugam non minus generoſam, quā glorioſam arripuiſſet: *Relicto in manu ejus pallio fugit, & egreſſus eſt foras.* Hanc fugam Dux cæleſtis militibus Apoſtolis ſuaſit. *Tunc qui in Judæa ſunt, fugiant ad montē.* O inſigne ſtratagema, quo ad vincendum inimicū, capitur fuga. Hirundo dum hyeme fugit, ſalvat vitam, de qua quidam hoc formavit ſymbolum, *alio hyemandum.*

D. Hieron.
Proverb. cap 14.
Tertull lib. de cultu fam. c. 2
D. Hieronymus.
Gen. c. 39.

19. Veniamus ad Scripturas. David hæc verba protulit: *Rex virtutū dilecti, dilecti* Hebræus legit: *Reges virtutū fugerunt. fugerunt* S. Hieronymus: *Reges virtutū fœderabuntur* Felix Pratenſis: *Reges virtutum fugiunt fugiunt* Quid ſignificat: *Reges virtutū* Reſpondet Mendoza: *Reges fortiſſimi, & robuſtiſſimi.* Sed ſi erant fortiſſimi, quomodo capeſſerunt fugam Quomodo ſimul ſtent fortiſſimi, & fugerunt? voluit dicere quod fugiendo demonſtrarint ſuum valorem. Hinc iſte Pſalmus intitulatur: *Vincenti David Pſalmus cantici* Pſalmus ergo iſte compoſitus eſt a Vate, & Rege David ad honorem fugientium. Sic obſervat quidam modernus ſcriptor: *Viri omnibus virtutibus munitiſſimi à minimis etiam tentationibus caverunt, & fugerunt; nam in hoc certamine, fuga eſt victoria, pugna verò aliquando eſt ruina.*

Pſal. 67.
D. Hieron.
Felic Praten. apud Felic. Prat.
Pſal. 67.
Franc. Mendoza lib. 1. Reg. cap. 4. ſect. 3.

20. Dum David fuga evaderet mortem, quam illi moliebatur Rex Saul, in gratiarum actionem quendam Pſalmum compoſuit, & ut Deo ageret gratiam ob victoriā ab inimico Saul reportatam, cum ſic intitulavit: *Pſalmus David dum fugeret à facie Saul in ſpeluncam* Sed ſi fugiebat, quomodo obtinuit victoriam? forſan, quia dicere ſolebat Achilochus Poeta Græcus: *Sa-*

Pſal. 67.

Achilochus Poeta. *tius eſt clypeum abjicere, quam interire.* Verum quidem eſt quod David fugerit, nihilominus victoriam cecinit: *Exurge gloria mea, exurge pſalterium & cythara, exurgam diluculo.* Ne miremini, ait ſupradictus Author, *Mendoza ubi ſuprà.* *Davidis fuga, non indecora fuit, ſed glorioſa.* A Davide, qui Mars victoriarum fuit, & bellorum ne abeamus, ob has Deo gratias agens, ſic cantabat. *Pſal. 17.* *Qui fecit pedes meos tanquam cervorum.* Idem cecinit Propheta Habacuc: *Deus Dominus fortitudo mea, & ponet pedes meos quaſi cervorum. Et ſuper excelſa mea deducet me victor* *Habacuc cap. 3* *in Pſalmis canentem.* Rex David, & Propheta Habacuc agunt Deo gratias, quod illis dederit pedes cervorum. Sed cur potius non referunt grates Deo quod iis dederit animum intrepidum, & generoſum? Plinius refert cervos fugere audito latratu canum, canibus ergo auditis fugiunt, & vitam ſalvant: nam ſi vellent cum iis certare, abſque dubio interimerentur. Habes ergo mentem Davidis, & Habacuc. Deo agunt gratias ob ſibi collatos pedes cervorum, hoc eſt, velocitatem in fugiendo, per quam ſperabant victoriam. Sic ſupradictus Author: *Franc. Mendoza ibid.* *Vt facile quis intelligat etiam in fuga à tentationibus fortitudinem divinam collocari.*

Hoc ſenſu dicere ſolebat Salomon: *Fruſtra jacitur rete ante oculos pennatorum.* Si avis audax, & temeraria certet cum venatore, & ſe ejus inſidiis opponat, facillimè reti concluditur, ſed ſi alis expanſis avolet, & velociter ſe in fugam det, effugit inſidias, & fraudibus ſe ſubtrahit. Sic Beatus Solonius: *S. Solonius.* *Pennati iſti ſunt ſancti viri, qui habent ſpirituales oculos, quibus & inſidias hoſtis prævident, & parata fugiendo, præcavendo præcavent.*

21. Finire volo cum eo quod evenit Apoſtolo. Corinthiis ſuas heroicas actiones ſcribit, & dicit ſe ſæpius pugnaſſe, ſed ſemper ſuccubuiſſe: *Ter virgis cæſus ſum, ſemel lapidatus ſum, ter naufragium pertuli pro Chriſti nomine.* Sed poſtea ſe ſemel pugnaſſe gloriatur, & victoriam obtinuiſſe: *Per feneſtram in ſporta dimiſſus ſuper murum, & ſic effugi manus ejus in nomine Domini.* Meliori modo quo potuit corbi ſe includi fecit, ac è feneſtra dimitti, & ſic vitam ſalvavit. Hunc actum generoſum, & heroicum putavit, & de eo Corinthios per litteras certiores reddidit, ac ſi victoriam obtinuiſſet; Sed ſi fugit, quomodò victoriam & palmam reportavit? obſervate, quod per ſportam fugerit, ſed cur non per funem? jurarem in hac ſporta quoddam myſterium latere. Videamus, ſi ſit animus illud inveniendi. Author quidam nomine, & ingenio peregrinus teſtatur illo ævo ſportas ex palmis victoriæ ſymbolis confici ſolitas. Optimè, Paulus ergo in tali ſporta fugit, ut oſtenderet ſe fugiendo viciſſe, & palmam victoriæ obtinuiſſe. *Animadvertite diligenter haud temerè mentionem fieri ſporta: crediderim ut intelligatur, quam glorioſa ſit fuga bellatorum Chriſti, ſportæ enim palmis conficiebantur, palmam verò victorum honeſtamentum ſemper fuiſſe decantatur in triviis.* Sic etiam Beda & Gloſſa: *Sporta plerumque à palmis contexitur, in ſporta igitur Paulus fugit, quia ejus fuga non timor, aut imbecillitas, ſed fortitudo, & palma conſequitur.* Hinc Salvator ſuadet fugam. *Tunc qui in Iudæa ſunt, fugient ad montem.* Non alia de cauſa niſi quia juxta divum Thomam à Villa Nova:

2. Cor.

Fugiſſe, viciſſe eſt: nam qui amat periculum, peribit in illo. Fugite ergo, & vincetis, & ite in pace.

FINIS.

Ad honorem immaculatæ Conceptæ Virginis, cui nuper Alexander Septimus favit.